

JONES

RONIC

135

ICARD

PRALECTIONES

JURIS CANONIC

TOMUS II

BX1935

P7

1867

V.2

C.1

348



1080045734

SECTIO I^a

DE LAICIS.

307. — I^o *Qui sint laici qui juri canonico subjiciuntur?*

Laici, a verbo Græco λαός quod populum significat, in triplicem classem, quoad sanctiones canonicas, distinguuntur, scilicet infidelium, catechumenorum et fidelium. Inter laicos baptizatos, alii sunt orthodoxi qui veram fidem catholicam profitentur; alii heterodoxi, seu hæretici qui erroribus contra fidem catholicam ab Ecclesia proscriptis adhærent; alii schismatici, qui ab unitate Ecclesiæ recesserunt; alii demum apostatæ, qui fidem christianam abjuraverunt.

Exponendum est igitur utrum et quatenus infideles, catechumeni, et fideles subjiciantur juri canonico.

308. — I. *Infideles* dicuntur, stylo juris canonici, qui baptismum non susceperunt, nec ad illum suscipiendum præparantur. Ecclesia habet quamdam jurisdictionem in infideles, quatenus accepit a Christo Domino officium annuntiandi ubique veram fidem et omnes homines adducendi ad religionem. Habet proinde in omnes gentes ministerium prædicationis quo, jure sibi proprio, fungitur. Non habet vero in eosdem infideles potestatem legislativam, nec coercitivam; siquidem non sunt membra societatis christianæ. In societate civili, subjectio oritur per civitatem, liberi enim statum et conditionem patris sequuntur;